DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINIQ; DEIPARÆ, ET S. LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, IX. FEBR.

M. MICHAELE DE LA VIGNE, Doctore Medico, moderatore.

An Principes alijs generosiores? 1003.

PRINCIPIVM cuiusque rei maximum esse fatendum est, cùm illius sit hoc opus, eaque facultas, vti plurima sibi similia valeat efficere, vnde si quando generis siue familiæ principium laudabile atque honestum extiterit, omnis ab eo deducta natorum series honesta atque laudabilis orietur; quare cùm homo natiuâ constitutione ingenitas fati leges nequeat effugere, eiusmodi vis illi naturæ beneficio concessa est, quâ mediante veluti principio plurimùm efficaci, innumeros sibi similes homines immortali successione procrearet, siquidem nobili ac penè diuina generandi facultate consequutus est, vt decisam è corpore suo partem eiusdem secum virtutis velut imaginem relinqueret, referentem non solùm omnem corporis sui apparatum, sed etiam animi mores: qui si egregij atque præcellentes fuerint, eorum semina liberis ingenerans principium illustris generis fiet, & ad eximiæ virtutis possessionem posteritatem omnem trahet.

EFFICACISSIMVM generationis principium semen est, quod πανταχόθεν ἐρχόμενον partium omnium in se naturam viresque complectitur, exceptum vtero prolem corpore & animo genitoribus suis quàm simillimam potest, effingit: si virile semen superauerit, patri similem effigie prouenire siue marem siue femellam puta, si muliebre matri: at si fuerit æqualis vtriusque seminis victoria, ad majores similitudo degenerabit, vnâ inter homines eiusdem generis immutabili continuataque seminis facultate: maius etiam aliquid in semine latere existimes; quemadmodum enim natura eius corporis differt, ita nobilitate ignobilitateque animi animæ inter se discrepant, quippe cùm pro varietate temperiei illius, & in permixtione victoriâ mollem & abiectam, vel illustrem magis ac validam excitari prolem videamus, si masculeum ab vtroque parente prodierit semen, imprimis corporis & animi virtutibus clara ac generosa soboles orietur.

VNVSQVISQVE pro generis conditione spiritus & animos gerit; è plebeijs natalibus ad excellentem virtutem rarus assurgit; summo genere prognatis adeò familiaris est, vt ad maxima quæque faciles & expeditos perducat; nam cùm igneus sit illis vigor, à masculo parentum semine genitus, vbi cæteri humiles, abiecti, pauco calore frigent, hi naturæ facibus feruent, magnanimi sunt, honoris, imperij, gloriæ cupidiores; accedit fortitudo verè regia virtus, quæ in solos temperamento calidiore præditos cadit, vnde semina virtutum, natiuamque temperiem ab atauis ad sese propagatam nobilibus quibusque facinoribus & excitant & fouent; vbi etiam multa patrum virtus animo multúsque recursat gentis honos, stare loco nescit generosa indoles, quin natalium splendorem sibi naturæ melioris indulgentiâ concessum, multa laudis & gloriæ accessione augeat & illustret.

QVOD si nobilis progenies virtutis auitæ obliuiscatur, nullo tamen integræ atque semper vigentis naturæ vitio istud fieri existimes, sed educationis errore, qui plurimus in vitâ solet contingere, cùm principum laudabilis, & cumprimis generosa temperies molliori ministrorum vel indulgentia, vel adulatione peruertitur, & præclara indoles ad virtutem nata ad vitia detorquetur; caue tamen credas mores à natura insitos deteriori vitæ consuetudine adeò permutari, vt nullum posthac in homine superesse possit vestigium, licet egregius ille generosæ stirpis splendor densâ vitiorum caligine nonnumquam offundatur, in his tamen tenebris quidam insitæ virtutis micant igniculi, qui vel inuito artis prauæ & peccantis educationis conatu, constantibus & firmis naturæ viribus luculenter excitari possunt.

IGITVR qui nobilioris stirpis naturam labefactare noluerit, diligenter exploratum habeat reparationis illius principium, masculeum scilicet semen calidum, copiosum, quale maximè profundi solet à sanis, robustis, iuuenibus, nec præter modum Veneri indulgentibus; hoc bellè instructi progenitores, pari corporis animique alacritate ad Veneris sacra accedant, & veteris dicti memores, hoc agant: sic enim fiet, vt liberi à parentum naturâ insitâque generositate non descíscant, sed eorum mores, studia, animique propensiones omnino repræsentent; absurdum enim est generandæ sobolis gratiâ generosos equos plantarumque optima semina diligentiùs inquirere eos, qui homini nihil ad futuræ successionis excellentiam, nobilitatem generis conferre putent, neque credant latentia semina virtutum in generatione liberis communicari; latere profectò turpiter numquam potest generosæ venæ sanguis, à Principibus nasci primus ad fortia quæque gradus est.

Ergo Principes alijs generosiores.

Proponebat Lutetiæ DANIEL ARBINET Belnensis, A. R. S. H. M. DC. LI.  444

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Simon Boulot.
M. Claudius Tardy.
M. Ioannes Forestier.

M. Michael du Pont.
M. Petrus de Mercenne.
M. Andreas Guyet.

M. Claudius Lienard.
M. Renatus Moreau, Prof. Regius.
M. Dionysius Allain.